

bata debent. Sed hæc leuissima sunt, & grammaticorum castigationibus relinquenda. Certè eadem ratio, quicquid de reliquis sit, quæ Philandrum confudit, Barbarum quoque iugulat. Diximus enim, nullam ob podii interseptiue retractionem, ipsis stylobatis adiectionem fieri; detur quippe exstantiam stylobatæ scamillum esse, nulla propterea per scamillum huic stylobatæ adiectio facta est. Quod quidem his non respondet quæ hoc loco præstanda esse manifestè docet ipse Vitruvius. Barbaro itaq; cum suis Camillis & loculamentis prætermisso, ad Baptistam Bertanum accedamus, is enim, eo libello quem lingua vernacula de operis Ionici rationibus scripsit, probè auctoris mentem se assecutum profitetur. Nos igitur, vt hunc etiam minus rectè ad veritatem collimasse ostendamus, ea quæ ab ipso hæc de re scripta sunt, in medium proferemus. Præpositis Vitruvii verbis: *Vti quadræ, spiræ &c.* Illa etiam quæ paulò inferius posita sunt subiungit,

*Vtique adiectio in stylobatis facta fuerit, in superioribus
membris respondeat symmetria epistyliorum.*

Mox commentationem ingreditur, ita scribens, vt nos ex Italiaco sermone Latinè vertimus.

Id querit Auctor, symmetrias quibus superiora epistyliorum membra conformantur, adiectionibus quæ fiunt ad medios stylobatas conuenire, quas sancè adiectiones paulo ante docuerat, per scamillos seu gradillos impares fieri oportere: quod quidem hoc pacto præstabitur. Addatur stylobatae trunko sexta pars crassitudinis columnaris scapi, ita vt dimidium hinc, & dimidium inde ipsius sextæ partis apponatur, dimidium postea totius altitudinis stylobatæ in partes septem diuidatur, quarum una cymatio dabitur, cuius quidem prominentia ipsam altitudinem & equabit, quod reliquum est, in duodecim partes secabitur, quarum tres primæ fasciæ, quatuor secundæ (quæ ad mediatatem usq; primæ adiectionis eminebit) quinq; demum tertia ascribentur, cuius eminentia quod reliquum est eiusdem adiectionis implebit. Porrò eadem ratione aliam stylobatæ partem confor-

B 2

mabimus.